

cum falcibus, qui locum illum purgassent, aperuissentque, ubi hoc esse sepulchrum opinione augurabatur: Sic & veritas in densissimas opinionum abstrusa vepres commodè investigari nequit, nisi omnia in contrarias partes diligenter examinentur, & quæ ad veritatis inventionem, aditum nobis obstruere videntur, ea diligentiac accurata contrariorum dijudicatione tanquam falce refecentur. Ac inde quidem excusso iudicio, ubi suspicionum causas rationibus defensionis prævalere animadvertet Iudex, ad torturam pronior erit, *Mascard. 2. de probat. concl. 894. num. 8. Iacob. Menoch. 1. de præsumpt. 89. num. 8. Proff. Farin. 1. de indic. & tort. q. 37. n. 57.* Quod si verò causæ defensionis & excusationis eminentiores fuerint, à tormentis abstinere debemus, *Boër. decis. 165.* Major enim & fortior præsumptio tollit minorem, imò præsumptio non delicti excludit præsumptionem delicti, ut multis Dd. autoritatibus probat *Matth. Steph. hic,* & ego hac de re ago in *Pentade cons. 1. nu. 36.* Incidentibus verò dubiis, quæ Iudici etiam cordato negotium facebant, ad prudentium Oracula confugiendum erit, qui juxta leges & jura pronunciant, propriæ voluntati non indulgent, ut remissivè trado, *art. 3. concl. 2.* Nam in Scabinatibus, Facultatibus & Collegiis, cum non cathecumini, qui, ut Imperator Justinianus in *l. unic. C. de nud. Iur. Quirit. tollen.* eleganter loquitur, ad primam legum venerunt audientiam; sed viri undique eruditi assideant, qui per rigidas examinationes juris in iis, velut aurum in fornace deputantur, quiq; ex multiplici causarum concursu & peritiores indies efficiuntur: Mutuæ enim & frequentes disputationes, & opinionum communicationes singularem producunt scientiam, & pervicax reddunt iudicium, & aptum ad omnium rerum cognitionem & perceptionem. Latius ego in *decade cons. 10. n. 163. 164.* Vide *art. 7. concl. 1.*

## ARTICULUS XXIX.

*Indicia certa & indubitata.*

1. Indicium ad torturam sufficiens est, si res aliqua relicta sit in loco delicti perpetrati, quæ demonstraretur esse accusati, vel inquisiti. Ex inventionem enim harum rerum præsumitur delictum commissum esse ab eo, cujus res sunt, ut exemplis ex aliis declarat, *Iohan. Zanger. de tortur. c. 2. nu. 33. cum seqq. multis,* quem imitatur laboriosissimus & doctissimus Jctus Dn. *Matth. Steph. hic.* Si tamen accusatus hanc præsumptionem fortiori præsumptione elidat, non dubitatur, quin veniam mereri debeat. Innocentiæ enim favor in jure magnus *Zieritz. hic, verb. innocentie defensionem.* Veluti si ostendatur hunc esse hominem bonum, & frugi, aut eo tempore, quo maleficium perpetratum esse dicitur, alibi fuisse, aut alium in loco delicti præsentem fuisse probetur, vel si Titus probare possit, se paulò antè amissionem, rem istam alii donasse, vendidisse, permutasse, aut possidere desuisse. De innocentie assertione pluribus

agam, *artic. 47.*

ARTI-